



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Libertas in admonendo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

misq; Hieronymi scriptitandis: ex quarum vni  
 caput adscribi res postulat, quo Cardinalem Au-  
 gustanum ad reuiseendam suam Ecclesiam (nam  
Liberitas in ad.  
monendo.  
 Romæ degebat) hortatur: ut appareat personarū  
 insignium amicitias, quam non in suam, & ipso-  
 rū perniciem per corruptrices assentationes, sed  
 tantum in commune bonum libertate Christia-  
 na foueret, atq; adeo quo merito eidem Cardina-  
 li verè sapienti, ac pio, tam carus, ac venerandus  
 esset. Quod, inquit, ad Augustanam Ecclesiam at-  
 tinet, multi mecum exoptant redditum tuæ Celsi-  
 tudinis, & grauissimas quidem ob causas, sicut &  
 ante scripsi. Peius cum hac agitur Ecclesia, quam  
 istic vel credatur, vel intelligatur: & interim tot,  
 tantisq; sarcinis grauat suam conscientiam Epis-  
 copus, ut mirer sane quomodo quietum somnū  
 capere possit, præsertim ubi tot animarum millia  
 pereunt, & ob Pastoris absentiam oues, simulque  
 Pastores inferiores periclitantur. Ignoscatur mihi  
 quæ so liberè dicenti, quod sentio, quoniam amo  
 Dominū meum Cardinalem Othonem, cui præ  
 omnibus debedo. Mallem sane illum absq; hoc E-  
 piscopatu viuere, quam solo Episcopatus titulo  
 gaudere, & oues tam negligēter pascere, quarum  
lana

Iana victitat. Alij spectent emolumenta tempora-  
ria, & amplos quærant honores: ego futurum  
cito iudicium, & reddendam acceptæ villicatio-  
nis rationem, & paratas pœnas malo dispensatori  
considero, simulq; timeo vehementer. Dominus  
Iesus aperiat oculos nobis, vt debitam Pastoralis,  
& Episcopalis officij rationem intelligamus, nos  
que diligentius ad spiritualia restituenda, & pro-  
mouenda accommodemus. Hæc fidelis moni-  
tor adeo grauiter, ac seuerè, non sane, quod iustæ  
Cardinali causæ decessent vrbanae commoratio-  
nis (quis enim alioqui illo amātior gregis Pastor?)  
Sed quia vbi res agitur animarum, vel leuissima  
negligētiæ species valde sapientibus formidatur.

In sequentis anni primo vere edita est suscepti  
operis prima Pars Dilingæ, tanta cura, ac solicitu-  
dine intelligentis eius, exquisitiq; iudicij, vt à fre-  
quenti lima, & expolitione ne tum quidem absi-  
stens, cum sub prælo res essent, typographicas o-  
peras haud modice fatigarit. Nec iniucundè opi-  
nor, cognoscent qui præsertim studia versant sa-  
pientiæ, quid in hoc opere moliendo sequutus sit  
autor, quantumq; aliorum iudiciis tribuendum  
sit, qui dignaluce, & approbatione Doctorum e-

1571.